

lis, indefectiva, inaccessibleis, cui videlicet nihil addi, nihil valet minui, et omnia quæ apud nos elabendo discurrunt, et per temporum vicissitudines se variant, apud illud hodie stant, et immobiliter perseverant. In illo hodie, dies ille adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem: in illo jam et ille nihilominus est, in quo iudicandus est per æterni iudicii æquitatem. » Et Sanctus Bernardus, ser. LXXX, in Cantic. « Tempora, inquit, sub ea transeunt, non ei, futura non expectat, præterita non recogitat, præsentia non expedit. » Quibus locis, et aliis similibus non loquuntur patres de præsentia rerum in esse cognito, et respectu intellectus, cum de illo mentionem non faciant, sed respectu æternitatis, et explicant modum, quo ipsa æternitas præsens est rebus temporalibus, et continet illas. Æternitas autem, ut est distinctum attributum ab intellectu non continet res cognoscendo, sed secundum indivisibilitatem, et summam uniformitatem durandi, quod ad præsentiam realem durationis perfinet. Nec solum loquuntur de negatione præteriti, et futuri, seu de immutabilitate intrinseca æternitatis, quasi velint dicere, quod ipsa æternitas in se intrinsece non habet successionem præteriti, et futuri, non tamen extrinsece, quia non potest assistere rebus prætereuntibus, et succedentibus. Nam contra est, quia non solum dicunt æternitatem esse immutabilem in se, sed etiam ea, quæ apud nos successive transeunt in æternitate stare, et non transire, ergo intelligunt, quod etiam respectu extrinsecæ durationis successionem caret æternitas, sicut etiam inquit Boetius, lib. v de consolation. prosa vi: « Æternum sui compos necesse est præsens sibi semper assistere, et infinitatem mobilis temporis habere præsentem, »

ubi non solum loquitur de æternitate comparatione ad se ipsam, et quantum ad extrinseca, sed etiam respectu temporis, quod est mensuratum extrinsecum.

XV. Ratio vero hujus sententiæ ex hoc ipso desumitur, quia æternitas est realis, et vera mensura durationis creatæ, saltem quando tales res existunt in sua propria duratione, et mensura, ut ostensum est articulo præcedenti, et non negant auctores oppositi, alioquin æternitas nullo modo contineret durationem creatam, si neque mensurat illam quam quando existit in sua propria duratione, neque antequam sit in illa, etsic solum durat concomitanter, et per accidens (sicut indivisibilis duratio Angeli) coexistet durationi rei temporalis. Si ergo æternitas mensurat aliquando durationes creatas (sicut modo supponimus) et non potest æternitas mensurare penes successionem sive intrinsecam, sive extrinsecam: ergo necesse est quod æternitas tam intrinsece, quam extrinsece excludat omnem successionem, et sic quæcumque duratio temporalis non potest mutabiliter coexistere æternitati, ita quod aliquando coexistat, aliquando non, sed semper ab illa mensuratur, illudque coexistit.

XVI. Tota difficultas hujus discursus consistit in probatione illius minoris, scilicet quod æternitas debet carere omni successione tam intrinseca, quam extrinseca in mensurando. In hoc enim oppositi auctores faciunt vim, et putant nos in æquivocatione laborare, quando in summa immutabilitate æternitatis, et indivisibilitate probamus res successivas illi indivisibiliter coexistere. Dicunt enim æternitatem esse quidem indivisibilem, et immutabilem entitative in se, et intrinsece, sed tamen rebus successivis sibi in-

trinsecis non posse coexistere indivisibiliter non ex parte sui, aut defectu ipsarum rerum successivarum, quæ transeunt sub æternitate, et transeundo illi coexistunt sine ulla mutabilitate æternitatis, sed solum cum mutabilitate sui, et sic æternitas est variabilis extrinsece non intrinsece, et multiplex virtualiter, formaliter unica, sicut si aliqua mensura esset fixa, et mensuramus quantitatem aliquam applicando, et transmittendo per talem mensuram, quæ non mutaretur in se, licet res mutabiliter illi applicarentur, et sicut arbor fixa in fluvio immobilis existens tangit aquas transeuntes per mutationem illarum extrinsecam sibi, non per mutationem arboris, et sicut immensitas tota existit, et coexistit mecum hic, non tamen facit me coexistere sibi ubicumque est immensitas.

XVII. Sed contra, quia æternitas non solum indivisibilis est entitative, et in se, quia caret partibus, sicut ipsa substantia Dei, sed etiam in mensurando, et in modo continendi, et mensurandi sua mensurata, sive extrinseca, sive intrinseca, sive indivisibilis, et immutabilis est, ergo non solum repugnat æternitati successio, et divisibilitas intrinseca, sed etiam extrinseca, et per comparisonem ad ea, quæ extra se sunt. Antecedens probatur, quia ut dicitur in diffinitione æternitatis est tota simul et perfecta possessio, ergo quidquid mensurat et continet, licet sit sibi extrinsecum, possidendo simul, et perfecte mensurat, non per applicationem seu replicationem successionis in mensurando, nec enim dicitur æternitas esse possessio, nisi respectu sui mensurati, hoc enim est quod possidet non se, et ita sive ipsa æternitatis mensura successive applicetur mensurato, sive ipsa æternitate fixa stante, res mensurata successive sibi applicentur, non

mensurabit possidendo simul, sed transeunter attingendo, sicut arbor fixa in fluvio, etiamsi in se fixa sit, tamen in tangendo, et mensurando penes se aquam fluvii, non simul totam aquam fluvii possidet, nec possidendo mensurat, sed per successionem, non sui, sed mensurati. Itaque ex quacumque parte successio detur, sive ea ex parte mensurati, quod applicatur, sive ex parte mensurantis, cessat possessio; sicut ergo dicor non possidere, sive ex defectu rei possessæ, quia ad me non venit, sive ex defectu mei, quia illam non apprehendo: ergo si æternitas in mensurando habet successionem extrinsecam, ita quod non coexistunt illi res temporales, nisi secundum successionem suæ existentie, non poterit per modum possessionis perfectæ eas continere, et mensurare, sed per modum numerationis, ita quod non poterit exhaurire per modum unitatis et immutabilitatis totam durationem temporalem, sed per modum replicationis, et numerationis secundum quod res ipsæ temporales ingrediuntur æternitatem, et subjiciuntur illi, sicut etiam arbor in fluvio fixa non mensurat totam aquam fluvii unica mensuratione, qua toti fluvio coexistat, sed secundum successivam applicationem aquæ labentis ad ipsam arborem. Quod vero adducitur de immensitate omnino frivolum est, nam immensitas ut jam diximus non coexistit rebus trahendo illas ad se, seu mensurando modo immutabili, sed solum immutando illas per contactum ad extra in suo proprio loco, et mensura, et sic solum coexistit illis juxta immutationem, quam in illis ponit per contactum suum. At vero æternitas non mensurat res per immutationem illarum, hæc enim coexistentia rei in propria mensura ad æternitatem, non co-

existentia mensurati, et contenti ab æternitate sub uniformitate illa simul possidendi rem mensuratam, quam de se habet æternitas, sed est coexistentia concomitanter se habens, et materialiter cum æternitate, non formaliter sub ratione mensurati, et reducti ad uniformitatem æternitatis per modum possessionis simultaneæ. Hæc autem reductio, et mensuratio uniformitatis fit modo immutabili ab ipsa æternitate, et consequenter possidendo semper ipsam rem quam mensurat, non autem expectando transitum, et successionem ipsius rei temporalis, ut æternitatem tangat, et ab ea mensuretur.

XVIII. Itaque tota intelligentia hujus sententiæ in hoc præcise consistit, quod æternitas non potest esse mensura rerum creatarum coexistendo illis per multas numerationes succedentes, sed unica mensuratione exhaurit totam quantitatem mensurati, eo quod per modum possessionis perfectæ mensurat, non per modum numerationis, et replicationis, seu diversæ applicationis ad quantitatem mensurati. Et in hoc elevatur eminentia hujus mensuræ super omnes alias creaturas, quod aliæ non possunt unica mensuratione, et per modum immutabilis unitatis, et possessionis totam quantitatem sui mensurati exhaurire: sicut v. g. ulna non potest mensurare totum pannum, quia habet multas ulnas, nisi replicando, et numerando suam mensurationem, et applicationem ad illum. Et ad hoc per accidens est quod ipsa ulna moveatur in applicatione ad mensuratum, vel sit fixa in aliquo loco, et mensuratum illi applicetur, et per illam transeat, semper enim quantitas panni non exhauritur unica mensuratione, sed pluribus, sicut etiam arbor in fluvio, licet sit immobilis localiter, tamen pluribus

contactibus, et non unico totam quantitatem decurrentis aquæ tangit: si autem esset arbor, quæ unico contactu totam quantitatem aquæ tangeret, deberet coexistere toti aquæ a principio fluvii usque ad finem: æternitas ergo, quia non solum est fixa, et immutabilis in se, sed etiam in mensurando, et unica mensuratione totam quantitatem suorum mensuratorum exhaurit, quia per modum possessionis perfectæ, et integræ mensurat, non per modum numerationis, et replicationis sui ad mensuratum, vel mensurati ad se, et ideo non expectat coexistentiam, et durationem mutabilem rei creatæ ut sibi coexistat, sed si semel mensurat, immutabiliter possidendo semper mensurat, nec pluribus mensurationibus replicatur supra mensuratum, vel ipsum mensuratum ad se admittit mutabiliter, et successive.

XIX. Unde cessat aliquorum objectio in hac parte, quia mensura non superior potest continere rem inferiorem, nisi supponendo illam in sua propria mensura, eique adæquata, sicut non possum esse in hac aula nisi existens in mensura mihi propria, nec sub cælo, nisi supponendo mensuram mihi adæquatam, nec sub ævo quod est indivisibile coexisto, nisi supponendo meam propriam mensuram, non ante illam, ergo nec in æternitate. Sed hæc objectio procedit ex ignorantia propriæ rationis formalis quam æternitas habet in mensurando diversimode ab aliis mensuris creatis, quantumcumque superioribus. Æternitas enim mensurat tamquam possessio simultanea omnis rei mensuratae a se, unde repugnat modo ejus mensurandi, quod expectet transitum, et successionem rei temporalis, et transeuntis, ut mensuret illam, sic enim non possidendo mensuraret, sed replicando mensu-

rationes. Mensuræ autem creatæ non mensurant possidendo sed præcise coexistendo rei, aut immutando, vel applicando illi suam mensuram, et ita in potentia se habent respectu mensurationis rei, possuntque expectare ipsam, ut ei applicentur quando in se existat, sicque ejus propriam existentiam supponunt. Sed quomodo, et sub quo esse æternitas possideat rem, quæ in se non habet esse, sed solum est in potentia, et intra causas secundum suam propriam mensuram, difficile intelligitur, et per quam actionem res ponantur in æternitate secundum esse reale, cum de se non habeant esse, nisi productum, nec possint transire de statu possibilitatis ad statum actualis, et realis existentiae nisi per aliquam actionem, et mutationem sui, in æternitate autem non ingreditur aliquid per aliquam mutationem, et actionem productivam, sed immutabiliter. Sed de hoc commodius dicetur solvendo difficultates, quæ contra nostram sententiam opponuntur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XX. Primo, arguitur contra fundamentum nostræ sententiæ, quod in hoc unice consistit, quia æternitas est tota simul, et perfecta possessio in mensurando, et sic non potest continere, et mensurare secundum successionem etiam extrinsecam, sed hoc est falsum, ergo. Minor probatur, nam res temporales, quando existunt in propria mensura, et secundum quod immutantur in proprio esse, et ponuntur extra causas etiam prout sic coexistunt æternitati, et coexistunt ut mensuratae ab illa, ut pote inferiores ad æternitatem, et minus unformes in illa propria mensura,

quam æternitas in sua, et tamen sub propria mensura non coexistunt æternitati immutabiliter, et ab æterno, si quidem res producuntur in tempore in propria mensura: ergo non est contra immutabilitatem, et indivisibilitatem æternitatis, quod aliquod ejus mensuratum successive eam ingrediatur, eique coexistat. Ad quid ergo necesse est ponere, quod res antequam sint in propria mensura coexistent æternitati ab æterno, si in sua propria mensura admittimus, quod coexistunt illi mutabiliter, et successive successione extrinseca? Et confirmatur, quia etiam res successive coexistent durationi angelicæ, et tamen incipiunt de novo illi coexistere, quando temporaliter immutantur, et non antequam sint in propria mensura, ergo bene stat res coexistere alicui mensuræ indivisibili modo successivo, et temporali, et consequenter idem poterit concipi respectu æternitatis sine ulla ipsius æternitatis mutatione.

XXI. Respondetur negando minorem. Ad probationem dicitur quod quando res temporales existunt in propria mensura, coexistunt æternitati distinguo, coexistentia fundata in ipsa propria mensura, et in mutatione rei temporalis, nego; fundata in immutabilitate æternitatis, quæ reducit ad sui uniformitatem res temporales per illam mensurationem superiorem, quæ est possessio, et non numeratio, concedo; unde illa coexistentia rei in propria mensura ad æternitatem, licet inveniat in æternitate, non tamen sub illo modo, quo res incipit esse per sui immutationem in propria mensura, sed per illum modum quo existit in æternitate sine ulla mutatione. Quod si reduplicetur res temporalis sub modo propriæ mensuræ removendo modum, quo æternitas ipsam complectitur, an tunc intelligatur

illi coexistere? Respondetur quod sub hac præcisione intelligitur coexistere solum concomitanter, et non per modum mensurati ad suam mensuram, ad cujus uniformitatem reducitur, quia ad hanc mensuram non nisi immutabiliter pertinet, et reducitur, sicut si per impossibile intelligeremus aliquod ens esse modo de novo in rerum natura, sine hoc quod procederet a Deo, nec contineretur in actione Dei, talis res coexisteret concomitanter æternitati non vero ut mensuratum ab illa, et contentum in illa, nec tamquam inferius et inadæquatum, quia non descenderet, nec procederet ab illa, nec ut æquale, quia non esset ipse Deus.

XXII. Ad confirmationem respondetur quod duratio Angeli coexistit tempori nostro, vel etiam tempori angelico discreto, non tamquam mensura superior, a qua dependeat, et derivetur tempus, sed ut concomitans ipsum tempus, et ei coexistens sicut aliquid indivisibile potest coexistere virtualiter rei divisibili, ut Angelus, vel anima corpori, et talis mensura non coexistit tempori antequam sit in se, sed expectat ipsum ut coexistat illi, neque enim oportet, quod coexistat illi mensurando ipsum immutabili modo, et per modum possessionis, simul et perfecte ipsum continendo, sed per modum rei permanentis, cui res successive transeunt, et mutabiliter coexistunt. Unde non dicitur ævum mensura excedens, quia contineat temporales mensuras per modum causæ, et aliquid ultra illas, sed dicitur excedens, quia nobilior, et uniformior, et quia minus mutabilior in mensurando, non tamen quia causa temporalium, et licet esset causa, non tamen quæ mensuraret possidendo simul omnia, sicut æternitas, sed per applicationem, et coexistentiam sui ad existentiam al-

terius, et ita expectat existentiam temporalium, ut illi coexistat, non vero simul possidet, ideoque licet indivisibiliter cuilibet tempori assistat, quando existit, non tamen futurum possidendo continet, et mensurat, neque causat.

XXIII. Secundo, arguitur quia impossibile est, quod æternitas coexistat rei temporali nisi res ipsa temporalis existentiam habeat, et durationem, nihil enim coexistit alteri, nisi existat in se, sed non potest existere res temporalis per suum esse proprium realiter productum in propria mensura, cum sit fides catholica nihil creatum ab æterno existere, sed in initio temporis esse productum. Neque potest existere per ipsum esse æternum Dei sibi communicatum ab æterno, quia æternitas est attributum absolutum, quod non potest alicui creaturæ communicari per informationem, ergo non solum existunt intra causas, quod est habere esse in potentia, et non in se ipsis realiter, vel solum in æternitate, tamquam res cognita in cognoscente.

XXIV. Nec potest dici, quod res existunt realiter in æternitate per esse proprium, non tamen ut in propria mensura, sed ut tractum, et elevatum ad mensuram superiorem æternitatis. Nam contra est, quia illud esse proprium, et creatum non mensuratur ab æternitate solum prout est intra Deum, et est ipsa creatrix essentia, sic enim est idem quod mensurare ipsum Deum, et sic conveniret illi æternitas per essentiam, et non per participationem, et inadæquate. Mensurat ergo esse proprium, et creatum prout est extra Deum in proprio esse, ergo supponit esse proprium, et durationem propriam extra actionem Dei, et extra causam suam, ut sic possit ipsum elevare, et trahere ad se, neque enim elevari potest ad æterni-

tatem, nisi intrinsece habeat esse, et durationem, hæc enim non potest convenire per denominationem extrinsecam, sed per intrinsecam convenientiam, et informationem, ergo præter durationem æternitas quæ est mensura altior, et superior, oportet in rebus creatis quæ ad ipsam æternitatem elevantur ponere esse proprium eis intrinsecum, quod ad ipsam æternitatem trahatur, de illo esse currit difficultas posita, quia tale esse non habetur nisi per productionem, nulla autem productio facta est nisi in initio temporis, quia non potest intelligi productum nisi per mutationem: alioquin si non mutatur de non esse ad esse, manet intra causas, nec est productum, et sic non in se ipso mensuratur.

XXV. Respondetur communiter dici, quod res existunt in æternitate secundum suum proprium esse, non tamen in propria mensura, sed in aliena, et altiori, ita quod non est distincta existentia rei in tempore, et in æternitate, sed eadem, sub diversa tamen mensura, et similiter productio qua producit in tempore servit, ut sit in æternitate, quia non minus productio mensuratur æternitate, quam res producta, licet non producat ibi sub propria mensura, sed sub aliena, et ita est in nunc æternitatis, non in nunc temporis. De quo videatur Cajetanus, 1 par. quæstion. xiv, art. xiii, §. His prælibatis; Navarrete, controversia lxx, § ii et iii, et magister Gonzalez, 1 part. disput. xlvi, section. iii, num. lxx, et alii interpretes D. Thomæ ut Bagnez, Zumel, Nazarius, et alii ad illum locum primæ partis, quæst. xiv, artic. xiii.

XXVI. Nihilominus oportet hoc amplius explicare propter argumentum adductum, quomodo illud esse rei creatæ sit in se ipso extra causas ad æternitatem elevatum, si non

sit immutatum de non esse ad esse, et vere productum. Respondetur ergo quod æternitas non mensurat res creatas immediate, et supponendo illas jam in se passive productas, et immutatas, sed præcise prout continentur in actione divina a qua attinguntur, et respiciuntur res creatæ, ut terminus ejus. Itaque esse creatum nec considerari debet, prout est virtualiter intra Deum, et est ipse Deus, nec prout solum est in omnipotentia, et in causis creatis ut possibile, sed prout attingitur per actionem Dei. Actio autem Dei in se est æterna, et tamen habet effectum temporalem: nam ut dicit D. Thomas, quæst. i de potent. art. i ad viii: « Potentia Dei semper est conjuncta operationi, sed effectus sequuntur secundum imperium voluntatis. Unde non oportet quod semper sit conjuncta effectui, sicut nec quod creaturæ fuerint ab æterno. » Et 1 part. quæst. xlvi, art. i ad x, dicit: « Quod exceptione Dei æterna non sequitur effectus æternus, sed qualem Deus voluit. » In aliis autem causis posita actione statim sequitur effectus. Unde speciale est in actione Dei, quod actio mensuretur æternitate, et effectus passive immutetur in tempore. Et hinc est quod effectus potest dupliciter considerari. Uno modo ut immutatus in se passive, et sic fundat propriam mensurationem, et sic non est ab æterno, quia non est immutabiliter, sed subest mutationi. Alio modo ut præcise est terminus connotatus, et respectus ab actione æterna, et sub hac consideratione dicitur trahi ad altiorem mensuram, quia mensuratur mensura qua ipsa actio, cujus est terminus, licet non ut immutatus ab illa, sed ut connotatus ab illa.

XXVII. Et si instes: Nam res prout in actione, et nondum in se immutatæ, et passive productæ, non-

dum intelliguntur habere esse in se ipsis, sed adhuc intra causas, et in fieri, quod manifeste patet, quia in actione divina nondum habent ali- quod esse creatum, sed vel ipsum esse talis actionis, et hoc esse est in- creatum, et est ipse Deus, vel esse producibile per illam actionem, sed nondum productum, et tale esse nondum est extra causas, et in se ipso, sed adhuc intra, et sic non mensuratur ab æternitate seorsum ab esse causæ. Respondetur quod res quamdiu in se immutata non est et passive producta extra causas, non- dum est in se ipsa secundum pro- priam mensuram, et durationem si- bi adæquatam, sic enim adhuc in- tra causas est, et in tempore produ- citur de non esse ad esse. Intelligi- tur tamen habere esse extra causas, ita quod non sit in actu primo, sed in actu secundo, hoc ipso quod in- telligitur ut terminus actionis jam existentis in rerum natura, eo quod actio non est actus primus, sed actus secundus, et sic in actu secundo, id est, in se ipsis ut terminus actionis actu existentis, dicuntur esse. Sed quia actio divina non est semper conjuncta immutationi passivæ ef- fectus sicut actio creata, sed in se immutabilis et æterna existens im- mutat in tempore creaturas juxta li- berum decretum voluntatis, ideo lo- cum dat duplici mensuræ rei, quæ est terminus hujus actionis, scilicet mensuræ æternæ, et immutabili, quatenus mensurat actionem æter- nam in actu existentem, et conse- quenter terminum ejus, ut præcise respicitur ab actione, et ut est ter- minus ejus, et mensuræ temporali quatenus suo tempore immutatur ab actione, et in sua mensura propria ponitur. Ad probationem responde- tur quod res in actione divina ha- bent esse creatum terminative, tam- quam respectæ ab actione, non ut immutatæ in se, et habendo esse in

propria mensura ut passive factæ, licet actio in se sit divina, et æterna formaliter, et non solum sunt in ac- tione tamquam res possibles, et crea- biles, sic enim respiciuntur non ab actione sub conceptu actionis, sed ab omnipotentia sub conceptu poten- tiæ. Respiciuntur ergo ab actione, tamquam terminus factus ab ea, et creatus, sic enim se habent, ut ter- minus actionis, quia in actu secun- do, et non per modum potentiæ tan- tum respiciuntur ab actione, et con- sequenter non solum considerantur, ut sunt ipsa actio Dei, et habent esse divinum, quia secundum esse divi- num non sunt terminus actionis, quæ non respicit pro termino, nisi esse creatum. Sed hoc esse creatum, et hic terminus licet temporaliter immutetur in proprio esse et mensura, tamen ab æter- no respicitur, et connotatur, et sic immutabili et æterno modo, dum mensuratur actio, mensuratur ter- minus, sicut etiam volitio libera Dei non solum est æterna in quantum entitas divina, et necessaria, sed etiam in quantum libere attingit rem ponendam non ab æterno, sed in tempore.

XXVIII. Tertio, arguitur quia non apparet per quam actionem, vel ra- tionem res creatæ physice, et reali- ter ingrediantur æternitatem ab æterno. Nam constat, quod æterni- tas non mensurat creaturas neces- sario, sed libere, scilicet quas Deus vult libere habere esse, alias men- suret omnes possibles, ergo non sufficit æternitas secundum se, sed requiritur decretum Dei liberum, ut res sint in æternitate secundum esse proprium. Sed decretum liberum antecedenter ad executionem, qua res ponuntur ad extra in propria mensura solum ponit denominationem extrinsecam in re creata qua reddit illam volitam a Deo, ergo ex vi talis decreti liberi, ut est pure ac-

tus immanens non ponitur aliquid secundum esse physicum, et reale in æternitate. Nec dici potest, quod decretum illud se habet ut conditio requisita, ut æternitas posito tali decreto per se ipsam quatenus est infinita mensura subjiciat sibi, et contineat res decretas sine alia ac- tione producente. Nam contra est, quia talis conditio, vel solum appli- cat res creatas ad æternitatem, vel aliquid ponit in illis, ratione cujus sint mensurabiles ab æternitate, cum antea in statu possibilitatis non essent. Neutrum autem dici potest, quia decretum liberum ut est actus immanens nihil relinquit in objecto creato, nisi denominationem extrin- secam, quæ non potest esse applicatio, nec ratio mensurabilis phy- sice. Si autem aliquid esse reale physicum res creatæ sortiuntur, quod elevetur ad æternitatem, hoc ipso præsupponitur in eis aliquid productum, et factum, quod ad æter- nitatem elevabile fit, et sic æternitas non mensurat, nisi supponendo res prius factas, hoc autem habent in tempore, et non ab æterno, ergo non sunt ab æterno in æterni- tate.

XXIX. Respondetur ex dictis, quod res non sunt in æternitate quasi prius producantur in suo proprio esse, et sic passive eleventur ad æternitatem, sed per hoc, quod ab æterna Dei actione respiciuntur, et connotantur, ut terminus tempora- liter quidem immutandus, sed ab æterno connotatus, et respectus. Ita- que per ipsammet actionem Dei, qua immutantur in tempore, conti- nentur in æternitate, quia actio æterna est, licet requirat decretum liberum non ut applicans, vel po- nens aliquid in re creata, sed ut de- terminans ipsam actionem, quæ de se potest producere omnes res, de- terminatur enim ad istam, vel illam in particulari juxta sapientiam, vel

voluntatem divinam, cujus actio Dei est executio. Et licet volitio Dei libera non ponat in objecto, nisi de- nominationem extrinsecam voliti, tamen actio executiva respicit ter- minum exequendum non secundum solam denominationem extrinse- cam, sed secundum realitatem suam, sic enim est terminus actionis, licet in tempore ponendus in propria mensura, tamen ab æterno conno- tatus, et respectus, et sic sub isto respectu immutabilis actionis divi- næ ab æterno mensuratus. Unde non requiritur, quod præsupponatur esse passive acceptum, et immuta- tum, ut elevetur ad æternitatem, repugnat enim quod sub ratione mu- tati ab immutabili mensuretur, sed antequam sequatur immutatio pas- siva ex eo solum, quod est terminus ab actione divina immutabili con- notatus, et respectus, mensuratur æternitate.

XXX. Nec valet dicere, quod res non continentur, nec subsunt actio- ni divinæ nisi in quantum depen- dent ab illa, dependentia autem est continentia passiva: ergo si men- surantur prout continentur in actio- ne, et ab illa dependent, mensu- rantur prout passive subsunt actio- ni, et immutantur ab illa. Sed res- pondetur quod dependere ab actione dupliciter consideratur, vel juxta modum actionis, et prout præcise est terminus ejus in ipsa ratione ac- tionis vel prout etiam immutatur passive, in se, et juxta modum im- mutationis passivæ. Dependentia er- go prout passive immutata solum est in tempore, et fundat mensuram temporis quæ est mutationis, prout autem præcise respicit modum ac- tionis, et intelligitur terminare, aut quasi specificare illam antecedenter ad passionem consecutam, si coe- xistit ipsi mensuræ actionis, ut actio est.

XXXI. Ex quo patet differentia in-